



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendium Qvæstionvm Regvlarivm R. admodum P.  
Emanuelis Roderici Lusitani, S. T. Lectoris Prou. S. Iacobi  
Reg. Obseru. Ordin. Mino. Diffinitoris**

**Rodrigues, Manuel**

**Lvgdvni, 1621**

Diffinitores.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41743**

114 DIFFINITORES.

Vnde constituentes aliquem ex supradictis Prædicatorem, non peccant mortaliter, neque incurrunt penas supradictas. *art. 12.*

Cōstitutiones Papales nullo modo ad Moniales nostri Ordinis descendentes ex genere maculato sunt extendendæ, tum quia lex loquens de viris in odiosis non extenditur ad fœminas, tum quia non est in eis propriè iurisdictio ordinaria *art. 13.*

DIFFINITORES.

*Vide Illegitimus.*

**D**iffinitores sunt quidam Patres in Ordine deputati ad iuuantulos Superiores, sicut inter antiquos Senatores, in Republica civili Consiliarij, in Ecclesia Romana Cardinales. Eliguntur verò cum Generali aut Prouinciali, quorum etiam Consiliarij vocantur. *to. 2. q. 45. art. 1.*

Habent prædicti diffinitores in aliquibus Religionibus votum electiuum, ipsisque in modum cōpromissi Guardianorum committitur electio. Habent item votum decisiuum, ad decidendas res graues, quæ ad Capitula, & congregationes intermedias deferuntur. Ad quod votum

**DIFFINITORES.** IIS  
tum ferendum sunt destinati ex cō-  
missione ipsis facta per constitutio-  
nes. Tenenturque Superiores, Ge-  
nerales & Prouinciales hos consu-  
lere, eorumque sententiam petere  
& sequi, sicut & vicissim ipsi tenen-  
tur hæc omnia fideliter præstare.  
*ibidem.*

In Religionibus, vbi Diffinitores  
habent votū decisiuum, nō possunt  
Pralati Superiores sententiam ali-  
quam grauem ferre contra delin-  
quentem Monachum sine consensu  
Diffinitorum, & sententia ab eis  
data, sine maioris partis consensu,  
nullius est valoris. Secus erit, si  
tantum habent votum consultiuum  
pro forma non requisitum: quia si  
tunc Superiores petitū ab eis consi-  
lium non sequantur, sententia iniu-  
sta erit quidem, at irrita, & nulla iu-  
re non erit. Si tamen omnino non  
petatur consilium ab eis, cum a le-  
ge pro forma requiritur, in quocum-  
que iure sententia nulla erit. quia  
hæc cōsiliorum petitio inter graues  
solemnitates censetur. *art. 2.*

Diffinitores in negotiis ad se  
spectantibus fauore aut respectu  
H 2 huma

116 DIFFINITORES.

humano procedentes, v. g. tacentes, nec audientes dicere verum, quia sciunt id displicere Superiori, grauiter peccant, quia ibi non sunt subditi, qui se debeant Superiori conformare, sed consiliarij communitatis. *art. 4.*

Superiore asserente se habere iustam causam faciendi quidpiam, quam tamen non vult eis aperire, debent prudenter cauere à contumelia, & adulatione, suumque consilium ad tempus suspendere, & si quidem quandoque aliquibus Definitoribus à dictis Prælati silentium esset indictum (quod tamen vix vquam nisi iusta, & maxima causa contingere existimandum est) hoc casu illorum iussioni acquiescere necessarium est. *art. 5. § 4.*

Etiam si concedatur, firmam omnino Prælatorum mentem esse, eosque sententiam minimè muturos in aliqua electione aut negotio peragendo; non ideo Definitores cum ad sententiam proferendam rogantur, ab ea syncerè proferenda excusantur, nisi fortasse ex coniecturis non obscuris bonum  
publi

DISPENSARE. 117

publicum in maiorem ruinam lapsu-  
rum suspicantes ob Prælatorum per-  
tinaciam, silentium magis ample-  
ctendum iudicauerint *art. 6. & 7.*

Diffinitòr à Superiore vocatus, &  
non accedens sine causa peccat cò-  
tra obedientiam, & bonum com-  
mune. *art. 9.*

DISPENSARE.

*Vide Abbatissa, Confessarij quoad dis-  
pensationem, Carnes, Illegitimus.*

**E**Piscopi possunt Ecclesiæ The-  
saurum Religiosis dispensare  
illis indulgentias concedendo, de li-  
centia saltem præsumpta suorum Su-  
periorum. Item possunt cum eisdem  
dispensare quoad interstitia, quod  
facere nequeunt Ordinum Superio-  
res, nisi ipsi minores Ordines confe-  
rant, vt Abbates. *tom. 1. q. 22. r. 7.*

Prælatus inferior nequit dispen-  
sare in lege Superioris, sed bene in  
pœna contracta per legis Superioris  
transgressionem, dummodo non sit  
reseruata. Dispensare verò in lege  
est obligationem legis tollere ab ali-  
quo particulari, propter aliquam cau-  
sam. Dispensare autem in pœna, est  
tollere prædictam pœnam iam con-